



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput V. De dignitate Sacramenti, & statu Sacerdotali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

studias, et perducas in vitam æternam.

Suscipe me in laudem & gloriam nominis tui, qui corpus tuum & sanguinem in cibum & potum mihi parasti.

Præsta Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii tui crescat meæ salutis, & devotionis affectus.

CAPUT V.

De dignitate Sacramenti, & statu Sacerdotali.

VOX DILECTI.

I. Si haberes Angelicam puritatem, & sancti Joannis Baptistæ sanctitatem: non esses dignus hoc Sacramentum accipere, nec tractare.

Non enim hoc debetur meritis hominum, quod homo consecret & tractet Christi Sacramentum, ut sumat in cibum panem Angelorum.

Grande mysterium, & magna dignitas

gnitas Sacerdotum: quibus datum est, quod Angelis non est concessum.

Soli namque Sacerdotes rite in Ecclesia ordinati, potestatem habent celebrandi, & Corpus Christi consecrandi.

Sacerdos quidem minister est Dei, utens verbo Dei, per iussionem & institutionem Dei: Deus autem ibi principalis est auctor, & invisibilis operator, cui subest omne, quod voluerit, & paret omne, quod iusserit.

2. Plus ergo credere debes Deo omnipotenti in hoc excellentissimo Sacramento, quam proprio sensui, aut alicui signo visibili.

Ideoque cum timore & reverentia ad hoc opus est accedendum.

Attende igitur, & vide, cujus ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi.

Ecce, Sacerdos factus es, & ad celebrandum consecratus; vide nunc, ut fideliter & devote in suo tempo-

re

re Deo sacrificium offeras, & teipsum a irreprehensibilem exhibeas.

Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinae, & ad majorem teneris perfectionem sanctitatis.

Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bonae vitae exemplum praebere.

Ejus conversatio non cum popularibus & communibus hominum viis, sed cum Angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra.

3. Sacerdos sacris vestibus indutus Christi vices gerit, ut Deum pro se, & pro omni populo suppliciter & humiliter roget.

Habet ante se & retro Dominicæ crucis signum, ad memorandam jugiter Christi passionem: Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi ferventer studeat.

Post se cruce signatus est, ut ad-
ver-

versa quælibet ab aliis illata, clementer pro Deo toleret.

Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat: post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum & peccatorem constitutum esse sciat.

Nec ab oratione & oblatione sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur.

Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat; Angelos lætificat; Ecclesiam ædificat; vivos adjuvat; defunctis requiem præstat; & se omnium bonorum participem efficit.

CAPUT VI.

Interrogatio de exercitio ante Communionem.

VOX DISCIPULI.

I. **C**um tuam dignitatem Domine, & meam vilitatem penso, valde contremisco, & in meipso confundor.

¶